hochachtungsvoll

der Verfasser

QUAESTIONES LEXILOGICAE

DE EPITHETIS HOMERICIS

ἀΐδηλος, ἐπηετανός, ἀσπάσιος, ἀάατος.

Scripsit

Dr. J. Savelsberg.

AQUISGRANI
apud **Benrath** et **Vogelgesang.**
MDCCCLXI.

DE EPITHETIS HOMERICIS

ἀΐδηλος, ἐπηετανός, ἀσπάσιος, ἀάατος.

Studia textus Homerici constituendi a F. A. Wolfio praeclare instituta atque per decem inde lustra a multis editoribus usque ad I. Bekkerum naviter continuata tum copiis criticis auctis tum veterum grammaticorum subsidiis collectis et in usum conversis propter splendidum eventum ita praevaluerunt, ut exegetica studiorum Homericorum pars hoc quidem tempore vix aequaliter procedat atque illa critica. Verumtamen altera alterius auxilio quam maxime indiget et coniuncta demum utriusque opera ad principem poëtarum recte intelligendum pervenitur. Ut enim genuinam textus formam indagasse iuvat, ita ex iusta interpretatione, qua verus sensus summi poëtae nobis aperitur, maiorem voluptatem nos percipere consentaneum est. Quantum autem accurata interpretatione verborum poëticorum vel reconditorum praestari possit ac debeat, documento sunt praeclarae illae quaestiones, quibus Buttmannus Nitzschius Naegelsbachius Doederlinus Lobeckius Lehrsius Lucas Duentzerus Ahrensius multas voces Homericas illustrarunt. Eorum vestigia presserunt G. Curtius Friedlaenderus A. Goebelius alii, qui Homero interpretando cum magno fructu dediti novas spes et eas laetissimas excitant. Permagnus enim est numerus vocum Homericarum, de quarum significatione et origine nihil certi constat. Ex quibus si tres quatuorve tantummodo ita illustrare mihi contigerit, ut earum conformatio et significatio e caligine in lucem vocata appareat, datae huic occasioni scribendi me non defuisse magnopere gaudebo.

Vix ullum aliud epitheton Homericum tam multas tamque varias virorum doctissimorum explicationes expertum est quam

Ἀ ΐ δ η λ ο ς.

Ut cum Buttmanno pro ea, qua inter Homeri commentatores suo iure praepollet, auctoritate incipiam, in hac voce explicanda ille quaestionem bene quidem institutam tamen ad liquidum non perduxit, quippe qui de significatione eius nonnunquam dubius haeserit nec vocabulum ad certam originem revocaverit. Optime quidem ad varias vocabuli epici ἀΐδηλος significationes perscrutandas in Lexilogo I p. 247 ab usu epithetico πῦρ ἀΐδηλον Il. II 455. IX 436. XI 155 exorsus hoc ignis epitheto vastandi quandam vim indicari statuit, deinde cum homines atque dii hac voce designentur, ex his Mars ἀΐδηλος audiat V 897. Od. VIII 309 pariter ac Minerva

Il. V 880, ex illis turba procorum *ἀΐδηλος ὅμιλος* Od. XVI 29. XXIII 303 et Melanthius, qui procis arma subministrat, Od. XXII 165 *ἀΐδηλος ἀνήρ* vocetur, denique Achilles Il. XXI 220 *ἀϊδήλως* trucidare dicatur, inde colligit Buttmannus huic voci universe sensum perniciosi inesse, qui solus omnibus locis accommodetur. At vero *ἔργ' ἀΐδηλα* locutionem epicis poëtis communem alio apud Homerum, alio apud Hesiodum sensu intelligendam esse statuit, apud illum Martis *ἔργ' ἀΐδηλα* Il. V 757 res perniciosas, in Hesiodi fragmento apud schol. Pind. P. III 14 (et 48): *ἔργ' ἀΐδηλα* quae corvus Apollini nuntiat, scilicet Ischyn Coronidi vim attulisse, non perniciosas, sed occultas clandestinas res esse censet veterum lexicographorum interpretamento aliquo *ἀΐδηλα ἄδηλα* adhibito. Sero temptata iam grammatica explicatione (p. 250) eo inclinat, ut significatum perniciosi in latiorem sensum impii nefarii transiisse concedat, ut *ἔργ' ἀΐδηλα* res nefarias et apud Homerum et apud Hesiodum denotent, praeterea *μωμεύειν ἀΐδηλα* verba Hesiodi Op. 754 valeant (sacra) in ludum impium vertere. Quemadmodum Buttmannum de varia huius vocis significatione adeo fluctuantem videmus, ut eius rei arbitrium suo cuiusque iudicio permittat, sic etiam grammatica quam proposuit explicatio omni fundamento caret. Docet enim *ἀΐδηλος* compositum esse ab *α* privativo et *ἰδηλός* adiectivo quodam ficticio, quod ad exempla *μιμηλός, σιγηλός, ἀπατηλός* formatum fingit ineptissime. Horum enim adiectivorum significationem activam imitantis, silentis, decipientis hominis primum in passivam detorquet, qua cum negatione *ἀ-ΐδηλος* significet invisibilem, deinde ut perniciosi notionem cum hace coniungat, passivam rursus in causativam ***invisibile reddentis*** notionem abiisse sumit, quod quamvis insolitum esse ingenue fateatur, tamen nobis probabile reddere studet cum ad vetustiorem quendam linguae usum provocando, de quo ultra Homerum nihil certi augurari licet, tum vero rationem illam ab *ἰδεῖν* derivandi in vulgus receptam iactando, quasi ea re accuratior investigatio praecidatur.

Ad duas istas difficultates tertia accedit, quod *ἰδηλός* illud ficticium, unde *ἀΐδηλος* compositum esse ille dicit, ne forma quidem aptum est ad *μιμηλός, σιγηλός, ἀπατηλός*; haec enim a *μιμέομαι, σιγάω, ἀπατάω* descendunt, illud vero non ab *ἰδέω*, sed ab *ἴδω* themate (vel si digamma restituas, *Fίδω, Fίδοιμι, Fιδέ, Fιδών*), a quo si unquam *ἰδηλός* exstitisset, id bissyllaba terminatione ampliatum esset, cuius generis nullum apud Homerum exstat exemplum. Vides quam lubrico fundamento nitatur ista originatio, quam adhuc viri docti tantum non omnes tuentur.

In reliqua dissertationis parte, qua Buttmannus uno loco Il. II 318 pro volgata lectione *ἀρίζηλον* alteram *ἀΐδηλον* Homero sagaciter, sed timidius quam decebat, vindicare conatur, hoc *ἀΐδηλος* iota longo ab usitatiore illo, quod antea in quaestione versabatur et cuius iota Homerus corripit, plane diversum et unicum exemplum esse contendit, quo invisibile significetur, formam ex *ἀείδελος* natam esse autumans ut *ἀπερείσιος* ex *ἀπειρέσιος*. Ut hoc exemplum metatheseos verum esse concedamus, tamen ad *ἀΐδηλος* non quadrat, quia tertia huius vocabuli syllaba non item corripitur prout secunda producitur. Sed universe illud discrimen ob syllabam semel productam statui non magis licet, quam si quis *ἀάατος* vocabuli tertio *α* semel producto Il. XIV 271 contra bis correptum Od. XXI 91. XXII 5., vel *Ἆρες Ἄρες* Il. V 31. 455., aut *ἀρίγνωτος* vocabuli iota semel correpto Od. XVII 375 ad discrimen inter binas formas statuendum uti velit, cum re vera poëta metri gratia nunc hanc nunc illam sibi sumpserit.

licentiam. Itaque tametsi ἀΐδηλον Il. II 318 a Buttmanno restitutum infra comprobabimus, tamen originitus idem esse demonstrabimus quod ἀΐδηλος (⏑⏑–⏑) epitheton illud usitatum. Speciosior quidem sententia Lobeckii esse videtur, qui Pathol. el. p. 530 ἀΐδηλος ab ἀϊδής ut ἀείδελος ab ἀειδής derivatum voluit et Doederlinum habuit sibi assentientem (gloss. Hom. II p. 5.), sed haec via iam antea temptata cum Buttmanno derelinquenda est non solum propter disparem accentum nominum similium ὑδρηλός ὑπνηλός, sed maxime propterea quod ἀΐδηλος ab ἀϊδής mirum quantum discrepat significatione, quam Buttmannus comparatione locorum naviter perscrutatus est, Lobeckius haud satis curavit.

Si omnes istas angustias respicimus, facile in eam sententiam impelli possimus, ἀΐδηλος vocem ab alia esse profectam origine, cuius memoria forsitan interciderit. Verumtamen non prorsus desunt originis vestigia atque eo ducunt ipsa veterum interpretamenta, quae inter multam farraginem nonnihil bonae frugis praebent. Etenim postquam Merckelius illa in prolegomenis ad Apollon. Argon. p. CLXXII diligenter collegit, spicilegium haud inane nobis reliquit, ad quod iam transibimus.

Praeter Methodium ἀΐδηλος ex α privativo et ἰδηλός compositum esse statuentem (ap. Etym. m. 41, 40), quem Buttmannus tacitus secutus est, illam vocem interpretantur ἀδηλοποιός Aristonicus apud Etym. m. p. 41, 37, Apollonius Sophista p. 17, 29, Porphyrius apud schol. Il. XI 155, scholiasta Od. XVI 29; — φθοροποιός schol. Il. V 872; — τὸν τοῦ φθαρῆναι καὶ ἀπολέσθαι αἴτιον schol. Od. XVI 29; — ὀλοθρευτικός, ὀλέθριος Etym. m. p. 41, 36. 39.; — ὀλέθρου ἄξιος schol. Od. XXII 165; — μεγαλόδηλος incertus auctor reprehensus a Porphyrio ap. schol. Il. XI 155, qui Sexti cuiusdam commentum τὸ ἐξ ἀδήλου ἐμπεσόν comprobat; — ἀπὸ τοῦ ἀϊδνὸν τὸ σημαῖνον τὸ ἀφανιστικὸν, διὰ τοῦ ι, ἀϊδνόδηλος, καὶ κατὰ συγκοπὴν ἀΐδηλος Choeroboscus ap. Etym. m. p. 41, 41 sqq. et in Epimerismis Crameri p. 19, 21. cf. schol. Vict. ad Il. II 455; — ἄδηλον, ἀφανές Apoll. Soph. p. 16, 28 ad unum versum Il. II 318. cf. Hesych. I p. 144; — denique Herodianus ap. Etym. m. p. 41, 45 sic derivans: ζῆλος, ἄζηλος, πλεονασμῷ τοῦ ι καὶ τροπῇ ἀΐδηλος, Iam ex magno commentatorum recensu statim videmus via et ratione carere Herodianum pleonasmo perquam fallaci et mutatione inaudita [1]) ἀΐδηλος ab ἄζηλος repetentem, Sextum notionem cadendi τὸ ἐξ ἀδήλου ἐμπεσόν temere ingerentem, Choeroboscum ἀΐδηλος extorquentem ex ἀϊδνόδηλος ineptissime ficto, ne dicam monstruoso [2]), quod ad singulos locos Homeri adhibere non operae pretium est. Has igitur interpretationes missas facientes reliquarum maximam partem ἀδηλοποιόν, φθοροποιόν, ὀλέθριον et similes convenire videmus in notionem perniciosi, nisi quod scholiasta Od. XXII 165 Melanthium caute ὀλέθρου ἄξιον, exitio dignum, potius quam perniciosum declarat. Sed multo maioribus difficultatibus Buttmannum teneri vidimus in concilianda illa notione cum Homerici Hesiodeique usus varietate. Aristonicus, Apollonius Sophista, Porphyrius vel etyma ipsa sciscitari et ἀΐδηλον cum ἀδηλοποιόν aequiparando hoc indicare mihi videntur, α privativum assumto ι pleonasmo in αϊ

---

[1]) Nunquam enim ζ in δ vertitur, sed e contrario e δι conflatur ζ quae est consonans duplex. Cf. G. Curtii gram. Graec. §. 34. 58.

[2]) Cuius vocabuli, si unquam exstitisset, propria vis fuisset perniciose conspicuus (!!).

evasisse et alteram partem δῆλος in notionem causativam δηλοποιός abiisse, quem explicandi modum, siquidem haec eorum mens erat, neque argumentis neque exemplis munire poterant.

Unam πυρὸς ἀϊδήλου interpretationem μεγαλόδηλον auctoris incerti a Porphyrio reprobatam (vide supra) nemo adhuc memoratu dignam existimavit, quamquam ei non omnino assectatores defuisse videntur. Etenim quod ad sensum quidem attinet, eodem redit quod Eustathius semel ad Il. II 455 τὸ πῦρ ἀΐδηλον interpretatur πολυφανές. Certe uterque particulam intensivam inesse indicat, quae Eustathio est α, cum ἀ-ίδηλον παρὰ τὸ ἰδεῖν ducat, alteri αἴ, quippe cum ἀΐδηλον explicet μεγαλό-δηλον. Sed Eustathium ἰδηλόν falso supponentem vincit auctor anonymus, ex cuius interpretatione ἀΐδηλον idem valet atque ἀρίδηλον.

Profecto haec interpretatio optime adhiberi potest loco multum disceptato Il. II 317—319, dummodo ibi v. 318 ἀΐδηλον lectio maiorem fidem habeat quam ἀρίζηλον. De varia lectione postmodum disputaturi interim volgatam apponimus:

αὐτὰρ ἐπεὶ κατὰ τέκν᾽ ἔφαγε στρουθοῖο καὶ αὐτήν,
τὸν μὲν ἀρίζηλον θῆκεν θεὸς ὅς περ ἔφηνεν·
λᾶαν γάρ μιν ἔθηκε Κρόνου πάις ἀγκυλομήτεω.

Tertium versum, quo draco in saxum mutatus esse narratur, genuinum esse utpote auctoritate Aristotelis (schol. Ven. ad Il. II 305 [1])), Zenodoti (ibi ad v. 318), Ciceronis de divin. II 30, Ovidii Met. XII 23 firmatum, hodie nullus est qui ambigat, nec magis in dubium vocari potest quin sensus sit: ***Deus draconem conspicuum reddidit in saxum conversum,*** cui portento simillimum postea illud fuit cum Neptunus navem Phaeacum, qua Ulysses domum redierat, probante Iove in saxum converteret Od. XIII 156 (λίθον-νηΐ θοῇ ἴκελον). Iam inter varias lectiones ἀρίδηλον Zenodoti, ἀρίζηλον nescio cuius, ἀΐζηλον codicis Ambrosiani, ἀΐδηλον Apollonii Sophistae quae genuina sit si quaeritur, nulla alia certe tam facilem ad mutandum ansam praebere poterat quam ἀΐδηλον, de cuius significatione non liquebat. Equidem Zenodotum leni mutatione ἀρίδηλον sensum ***conspicui*** expeditiorem reddidisse puto hac forma suis temporibus volgari proposita, alii vero propter iota uno hoc loco productum audacius ἀΐζηλον, alii Zenodotum corrigentes ἀρίζηλον scripsisse mihi videntur. Itaque varias lectiones ex communi fonte ἀΐδηλον manasse verisimile est. Iam huius vetustioris lectionis testes produco Apollonium Sophistam p. 16, 28., Choeroboscum apud Etym. m. p. 41, 44., Ciceronem, qui in huius loci interpretatione (de divin. II 30):

Qui luci ediderat genitor Saturnius, idem
abdidit et duro firmavit tegmina saxo.

verbo „***abdidit***“ se ἀΐδηλον θῆκεν legisse et haec verba pro ἄδηλον ἐποίησεν accepisse manifesto indicat, in quem errorem, si ἀρίδηλον vel ἀρίζηλον legisset, incidere non potuit. Itaque et probabilibus artis criticae rationibus et certis testimoniis ἀΐδηλον genuinam lectionem esse evincitur, id quod iam Buttmannus probare etsi timidius temptaverat [2]). Neque tamen ἀΐδηλον,

---

[1]) Duentzer de Zenod. studd. Hom. p. 157.

[2]) Buttmannus ἀΐδηλον ad Aristarchum refert auctorem, sed is, qui ἀΐδηλα bis loco movit Il. V 757. 872, inprimis illi favisse non est censendus.

quamvis recte revocandum, ideo invisibile denotat, neque I. Bekkerus *ἀϝίζηλον* scribere debebat digamma intrudens nullo adhuc argumento probatum. Immo vero quoniam et contextus requirit ut deus draconem conspicuum reddidisse dicatur, qua ex causa immutationes veterum *ἀρίδηλον* et *ἀρίζηλον* natae sunt, idemque Ovidius illos versus imitatus bene expressit Met. XII 22. 23.:

Ille (serpens) ut erat, virides amplexus in arbore ramos,
Fit lapis et servat serpentis imagine saxum,

iam nulla amplius mora est, quin veteri illi grammatico fidem habentes, qui *ἀΐδηλον* interpretatur *μεγαλόδηλον*, huic Iliadis loco genuinam lectionem et verum sensum vindicemus:

τὸν μὲν ἀΐδηλον θῆκεν θεὸς ὅς περ ἔφηνεν·
λᾶαν γάρ μιν ἔθηκε Κρόνου πάις ἀγκυλομήτεω.
Hunc quidem conspicuum reddidit deus qui ostenderat;
Saxum enim eum reddidit Saturni filius versuti.

Iam ut formae rationem reddam, *ἀΐδηλος* non solum idem significat quod *ἀρίδηλος* ab *ἀρι* particula intensiva et *δῆλος* compositum, sed etiam idem vocabulum est dialecto tantum discrepans. Nimirum utramque formam comparantibus nobis hiatus *ἀΐδηλος* epitheti epici indicio est inter duas primas vocales consonam intercidisse; cum autem altera forma *ἀρίδηλος* Dorica dicatur [1]) et Dores etiam in mediis vocabulis *σ* in *ρ* mutaverint [2]), vocem epicam *ρ* vel potius *σ* littera carentem sigmatismi fuga ex *ἀσίδηλος* ortam esse probabile est. Exhibent hanc *ἀσι* particulam intensivam plene scriptam glossae ab Hesychio servatae: 1. *Ἀσιασκεῖ σκευάζει, adparat,* 2. *ἀσίχηρ δοτικός* eademque prima syllaba producta *ἥσιχερ δαψιλής,* quibus variis formis homo *magnis sive largis manibus utens* significatur, 3. iterum *α* in *η* producto *ἠσίπεπον εὔτραφές, permaturum, percoctum.* Iam vero *ἀσι* particula, raro quidem integra, in multis verbis compositis varie mutilata deprehenditur, ex quo genere *αἴγλη* (splendor) et *σιγαλόεις* (splendidus) vel potius, unde descendit, *σιγάλη* [3]) mutuo inter se auxilio praefixum suum explent; hoc enim capite quidem truncatum est, quo restituto archetypon *ἀσιγάλη* cognoscitur, *αἴγλη* vero sibili fuga et syncope ex archetypo contractum apparet [4]). Ad eam rationem inveniendam viam patefecit A. Goebelius, qui in dissertatione de epithetis Homericis in *εις* desinentibus Vindobonae

---

[1]) Etym. m. p. 142, 19.

[2]) Ahrens. de dial. Dor. p. 73.

[3]) Cf. *σκιόεις* a *σκιά, μηχανόεις* (ap. Sophocl.) a *μηχανή.* Ut autem *σιγαλόεις* et *νεο-σίγαλος* apud Pindarum Ol. III 4 a *σιγάλη* feminini generis nomine proficisci arbitremur, eo nos ducit coniectura praeter *αἴγλη* etiam simplex nomen *γάλη* olim exstitisse, unde verbum denominativum apud Hesychium *γεγάλημαι γεγαλήνισμαι διακέχυμαι (exhilaratus sum)* derivatum apparet; accedit analogia, quod simplex *ῥάμφος* et compos. *σίραμφος* (ap. Hesych.) eiusdem sunt generis.

[4]) Ne longus sim, ex multis exemplis aliquot saltem hic strictim commemorentur: *ἀΐμνηστος* C. I. Gr. n. 995. 1656. 6301 cum *Ἀρίμνηστος* n. pr. ex *ἀσίμνηστος, multum memoratus, αἰζηός* ex *ἀσιζηός (ζάω), valde vegetus, vivax,* inde *adolescens, ἠΐθεος* vel Dorice *ἀΐθεος* C. I. Gr. n. 3326 ex *ἀσίθεος, valde divinus,* deinde *iuvenis caelebs,* alia, de quibus alio loco uberius exponam, ubi Sanscritum praefixum ati (in atigîvas i. e. *admodum vegetus, vivax)* in comparationem vocabitur.

a. 1858 edita p. 39 in σιγαλόεις epitheto vim intensivam σι praefixi bene perspectam cum aliis exemplis, tum Σιδήλη Ionicae urbis nomine illustravit, quo „**conspicuam** ἀριδήλην“ illam nuncupatam esse statuit. Hoc Σιδήλη nomen Ionicum cum nostro de quo agimus epitheto comparatum, quanquam alpha initiali per aphaeresin omisso, tamen sibili, qui in Dorico ἀρίδηλος cessit ϱ litterae, in epico ἀΐδηλος autem evanuit, tenacius fuit, qua re pristina praefixi forma ἀσι et archetypon ἀσίδηλος clare perspicitur.

Alteram ἀΐδηλος vocabuli partem iam veteres commode ad etymon revocarunt. Quod enim scholiasta Ven. ad Il. II 318 explicat Ἀρίζηλον: τὸν διάδηλον καὶ φανερόν. γίνεται δὲ ἐκ τοῦ ἀρι ἐπιτατικοῦ μορίου καὶ τοῦ ζῆλος, τὸ δὲ ζῆλος ἐκ τοῦ δῆλος, τὸ δὲ δῆλος ἐκ τοῦ δαλός, ὃ σημαίνει τὸν πεπυρακτωμένον σίδηρον, hoc potiore etiam iure cum de Zenodotea lectione ἀρίδηλον, tum de genuina ἀΐδηλον valet eidem Iliadis loco supra vindicata, quandoquidem ἀρίζηλος forma ab ipsis veteribus reprobata est, ut a scholiasta Od. XII 453 ἀριζήλως] ἀριδήλως· οὐ γὰρ ἐκτέταται ὁ ζῆλος. Δαλός autem (torris) una cum δαελός Dorica Sophronis et δαυλός Ionica forma (cf. Schol. Vict. ad Il. XV 421) ab Etymologo p. 246, 35 a δαίω (uro) ducitur, cuius participium perf. pass. δεδαυμένος cum apud eundem p. 250, 18 e Simonide servatum sit, veram verbi radicem ΔΑΥ manifestam reddit. Neque solum δαυλός eam sequitur, sed etiam Doriensium δαελός, quod Lacones paullo accuratius δαβελός (vide Hesychium) i. e. δαϜελός pronuntiabant. Iam cum δῆλος adiectivum (olim δάελος Hesych. et δέελος Il. X 466), quod **conspicuum, clarum** designat, a δαλός repetatur, nisi verius unum vocabulum erat vario accentu nunc substantivi nunc adiectivi munere fungens, ab eadem certe radice eiusque prima notione profectum est et ab eo, quod in principio **ardentis** notionem habebat, latiore intellectu etiam **lucens, clarum** dictum est pro arta quae inter duas istas notiones intercedit ratione. Idem valet de ἀΐδηλος vocabulo a δῆλος composito. Ut enim pergamus inquirere quatenus explicatio nostra cum singulis locis Homericis conciliari possit, vix dictu opus est, conspicui notionem, quamvis certo ex uno loco erutam, tamen non esse pro primaria habendam, ex qua vocabulum ipsum ortum sit. Immo vero ἀΐδηλος quotiens ignis epitheton est, primario ardendi sensu intelligi licet, praesertim cum non tam lucida, quam vastans quaedam vis ignis illo epitheto apud Homerum describatur:

Il. II 455 ἠΰτε πῦρ ἀΐδηλον ἐπιφλέγει ἄσπετον ὕλην
IX 435 οὐδέ τι πάμπαν ἀμύνειν νηυσὶ θοῇσιν
πῦρ ἐθέλεις ἀΐδηλον.
XI 155 ὡς δ' ὅτε πῦρ ἀΐδηλον ἐν ἀξύλῳ ἐμπέσῃ ὕλῃ.

Quodsi non lucidus, sed *flagrans* potius ignis silvam incendere et a navibus non defendi aperte narratur, illa **valde ardentis** significatio certissime ad usum translatum pertinet, quo per metaphoram omnibus gentibus communem synonyma vocabula ut Attica θερμός, αἴθων, Latina **calidus ardens flagrans,** Germanica hitzig, feurig ad hominem audacem temerarium violentum ferocem protervum designandum abhibentur.

Translate nimirum Mars Od. XIII 309. Il. V 897 Ἄρης ἀΐδηλος appellatur ob magnum quendam animi ardorem atque impetum. Hoc enim Martis ingenium perspicue ostenditur ea oratione, qua Iuno Il. V 757—764 apud Iovem illius ἔργ' ἀΐδηλα **facta fervida, audacia** accusat.

Ζεῦ πάτερ, οὐ νεμεσίζῃ Ἄρει τάδε Fέργ' ἀΐδηλα;
ὁσσάτιόν τε καὶ οἷον ἀπώλεσε λαὸν Ἀχαιῶν
μάψ, ἀτὰρ οὐ κατὰ κόσμον, ἐμοὶ δ'ἄχος. οἱ δὲ Fέκηλοι
τέρπονται Κύπρις τε καὶ ἀργυρότοξος Ἀπόλλων
ἄφρονα τοῦτον ἀνέντες, ὃς οὔ τινα Fοῖδε θέμιστα.
Ζεῦ πάτερ, ἦ ῥά τί μοι κεχολώσεαι εἴ κεν Ἄρηα
λυγρῶς πεπληγυῖα μάχης ἐξαποδίωμαι;

Quibus verbis Iuno minus perniciosa facta quamvis luctuosa, quibus Mars Achivos perdiderit, quam animum eius, quem necando prodiderit, criminatur, quod temere (*μάψ*) contra fas et legem egerit, quod demens fuerit; ex quibus efficitur eum audacem, temerarium declarari. Contra ea Iuno ab Iove veniam petit ut sibi Martem e pugna fugare liceat, id quod cum scholiasta adnotatu dignum existimo: *χαριέντως τὸν υἱὸν ἁμαρτάνοντα παρὰ γνώμην τοῦ κυρίου κολάζειν οὐκ ἐπιχειρεῖ* (cf. schol. ad Il. V 717). Atque Aristarchus, qui *ἔργ'ἀΐδηλα* non aliam ob causam mutasse videtur, quam quod perniciosi significatum arbitrario arreptum huic loco non convenire sentiret, ipsa mutatione sua *καρτερὰ ἔργα* satis clare indicavit ex illius orationis tenore et contextu intelligenda esse ***audacia, temeraria facta,*** quae vera interpretatio Heynii (tom. V p. 142) [1]) quin etiam valeat de *Fέργ' ἀΐδηλα* lectione ab I. Bekkero restituta [2]) iam dubium esse non potest.

Eadem ratio est alterius loci Il. V 872—882, ubi Mars vicissim Minervam temeritatis et violentiae accusat dementiam eius criminans et quod iniqua facta ei semper sint curae.

v. 872: *Ζεῦ πάτερ, οὐ νεμεσίζῃ ὁρῶν τάδε Fέργ' ἀΐδηλα;*
v. 875: *σοὶ πάντες μαχόμεσθα· σὺ γὰρ τέκες ἄφρονα κούρην*
οὐλομένην, ᾗ τ' αἰὲν ἀήσυλα Fέργα μέμηλεν.
ἄλλοι μὲν γὰρ πάντες, ὅσοι θεοί εἰσ' ἐν Ὀλύμπῳ,
σοί τ' ἐπιπείθονται καὶ δεδμήμεσθα Fέκαστος·
ταύτην δ' οὔτι Fέπει προτιβάλλεαι οὔτε τι Fέργῳ,
ἀλλ' ἀνίῃς ἐπεὶ αὐτὸς ἐγείναο παῖδ' ἀΐδηλον·
ἣ νῦν Τυδέος υἱὸν ὑπερφίαλον Διομήδεα
μαργαίνειν ἀνέηκεν ἐπ' ἀθανάτοισι θεοῖσιν.

Ibi quod Buttmannus ad v. 872 variam lectionem ignorans volgatam *καρτερὰ ἔργα* multo aptiorem quam v. 757 esse censet, quod tantum de Diomedis adversus deos audacia (non

---

[1]) Eustathius ad h. l. *καρτερὰ ἔργα* interpretatur *βίαια,* ad V 882 paullo disertius: *οὐκ ἐπὶ ἐπαίνου κεῖται ἀλλ' ἀντὶ τοῦ βιαστικά, καθ' ὃ καὶ βέλος λέγεται καρτερόν — καὶ λόγος κρατερὸς ὁ ἀπειλητικὸς καὶ βίαν δηλῶν.*

[2]) *ἔργ' ἀΐδηλα* servarunt Apollonius Soph. p. 16, 31, schol. Ven., cod. Cant. et Harlei. (v. Heyne t. V p. 142), quae lectio eo magis firmatur, quod Tyrtaeus el. 8 (ed. Bergk.) Marti eadem *ἔργ' ἀΐδηλα* tribuit et quod hanc locutionem epicam epici infimae aetatis poëtae Apollonius Arg. III 1132. Orph. Arg. 17. 431 nisi ex Il. V 757. 872 ab Homero sumere non poterant. Ceterum I. Bekkerus parum caute scripsit *ἀFίδηλα* digamma arripiens.

de perniciosis factis) sermo sit [1]), hoc ipso argumento nitentes nos lectionem ab I. Bekkero ex scholl. Lips. Vict. et cod. Cant. [2]) iure restitutam *Fέργ' ἀΐδηλα* interpretandam esse ducimus *temeraria facta* vel *temerariam rationem,* qua Minerva Diomedem ut in deos fureret stimulavit.

Ne autem e contextu solo sensum verborum eruamus argumentis magis minusve opinabilibus, ad *ἀΐδηλος* vocis usum metaphoricum testandum adhibere iuvat glossam Hesychii (ed. Alb. p. 146) *ἀΐδυλος θρασύς.* cf. Suidam ed. Bernh. I part. I. p. 131 et Eustath. p. 399, 37. Hoc adiectivum, nisi dialecto (Aeolica opinor [3])) ab *ἀΐδηλος* non diversum, ab eadem cum altera Hesychii glossa *δαυκός θρασύς*... radice *δαυ* supra p. 6 demonstrata prodiit [4]). Quodsi haec nomina cognata *ἀΐδηλος* vocis sensum, quem Homeri sermone requiri paullo ante vidimus, egregie confirmant, accedit parilis apud poëtas et scriptores Atticos usus vocabuli *θερμός,* ex quo notionem urendi ad fervidum audacemque hominis animum significandum transferri luculenter apparet. Ita enim *θερμός* usurpatum invenimus apud Aeschylum Sept. 603 *Ξυνεςβὰς πλοῖον εὐσεβὴς ἀνὴρ ναύταισι θερμοῖς,* ubi pio homini opponuntur calidi i. e. temerarii nautae, et Eum. 560 *Γελᾷ δὲ δαίμων ἐπ' ἀνδρὶ θερμῷ,* quod scholiasta explanat *θερμουργῷ,* i. e. deus irridet hominem qui animo nimis accenso audax facinus perpetrat. Eiusmodi hominum indolem accuratius descriptam invenimus apud Xenophontem Mem. I 3, 9, ubi *θερμουργός* et *θρασύς* synonyma alternant: *οὐ σὺ Κριτόβουλον ἐνόμιζες εἶναι τῶν σωφρονικῶν ἀνθρώπων μᾶλλον ἢ τῶν θρασέων, καὶ τῶν προνοητικῶν μᾶλλον ἢ τῶν ἀνοήτων τε καὶ ῥιψοκινδύνων ; Πάνυ μὲν οὖν, ἔφη ὁ Ξενοφῶν. Νῦν τοίνυν νόμιζε αὐτὸν θερμουργότατον εἶναι καὶ λεωργότατον· οὗτος κἂν εἰς μαχαίρας κυβιστήσειε κἂν εἰς πῦρ ἅλοιτο.* Qua ex descriptione videmus, quo temeritatis *θρασύς* et *θερμουργός* procedere sermone communi dictus sit.

Ex tali genere hominum apud Homerum est Melanthius, qui procis arma subministrat Od. XXII 165 sq.:

Κεῖνος δὴ αὖτ' ἀΐδηλος ἀνήρ, ὃν ὀιόμεθ' αὐτοί,
ἔρχεται ἐς θάλαμον. σὺ δέ μοι νημερτὲς ἐνίσπες
ἤ μιν ἀποκτείνω, αἴ κε κρείσσων γε γένωμαι,
ἦε σοὶ ἐνθάδ' ἄγω, ἵν' ὑπερβασίας ἀποτίσῃ
πολλάς, ὅσσας οὗτος ἐμήσατο σῷ ἐνὶ Fοίκῳ.

Hic Melanthium istum, propterea quod procis arma subministret, non ipsum perniciosum dici posse certe odoratur scholiasta, cum *ἀΐδηλος* caute explicet *ὀλέθρου ἄξιος,* idemque sentit Etymologus Aristonici interpretationem improbans p. 41, 36: *Ἀΐδηλος*] *οἷον „κεῖνος δ' αὖτ ἀΐ-*

---

[1]) Lexil. I p. 248: „Dahingegen v. 872 *καρτερὰ ἔργα* . . , wo es keine Variante hat, viel passender steht (?); da nur von den Keckheiten des Diomedes gegen die Götter die Rede ist."

[2]) Heyne tom. V p. 162.

[3]) Cf. Ahrens. de dial. Aeol. p. 78.

[4]) *Δαυκός* adiectivum radicis, a qua *κός* suffixo propagatum est, integram formam *δαυ* servavit, quae alterius vocalis in *ἀΐδυλος,* alterius in *ἀΐδηλος* (Dor. *ἀΐδαλος*) iacturam fecisse arguitur, ita quidem ut illud ad nomen simplex *δαῦλος,* hoc ad *δῆλος* (*δάFελος-δάελος-δᾶλος* cf. supra p. 6.) referatur.

δηλος ἀνήρ" ὁ ὀλοθρευτικός · οὐ γὰρ ἄξιος Ἀριστόνικος δηλοῦν λέγων τὸν ἀδηλοποιόν. Sed neuter veram Melanthii naturam perspexit, quam Homerus ἀΐδηλος epitheto descripsit. Perniciosus quidem non fuit Melanthius, qui brevi postea v. 195 e columna suspensus nocendi facultate privaretur, neque tamen nova significatio ὀλέθρου ἄξιος aliunde incomperta fingeretur necesse erat. Sed ἀΐδηλος epitheto Homerus Melanthii audacem protervamque naturam designavit, quam cum alias Od. XVII 212—253 egregia descriptione expressit, tum hoc loco universe significavit: ἵν' ὑπερβασίας ἀποτίσῃ πολλάς, ὅσσας οὗτος ἐμήσατο σῷ ἐνὶ Ϝοίκῳ.

Eo socio temeritatis utebantur proci, qui et ipsi audiunt μνηστήρων ἀΐδηλος ὅμιλος Od. XVI 29, utpote quorum mores audaces, violenti describantur XXIII 302, ubi Penelope marito narrat:

ἡ μέν, ὅσ' ἐν μεγάροισιν ἀνέσχετο δῖα γυναικῶν,
ἀνδρῶν μνηστήρων ἐσορῶσ' ἀΐδηλον ὅμιλον,
οἳ Ϝέθεν εἵνεκα πολλά, βόας καὶ Ϝίφια μῆλα
ἔσφαζον, πολλὸς δὲ πίθων ἠφύσσετο Ϝοῖνος.

iam antea coram Ulysse ut hospite conquesta Od. XVII 587:

οὐ γάρ πού τινες ὧδε καταθνητῶν ἀνθρώπων
ἀνέρες ὑβρίζοντες ἀτάσθαλα μηχανόωνται.

Illa igitur proterva turba, ἀΐδηλος ὅμιλος, erant αἴθωνες ὑβρισταί (Soph. Ai. 1088).

Ut comparationem inter ἀΐδηλος et θερμός synonyma institutam absolvamus, perinde ut homines, sic etiam eorum facta alterutro nomine designari consentaneum est. Θερμόν factum audax, temerarium, nefarium esse videmus ex appositis, quae scriptores coniungunt, ut Amphis ap. Ath. X p. 448 a: δρᾷ τι καὶ νεανικὸν καὶ θερμόν, et Aristophanes Plut. 415: Ὦ θερμὸν ἔργον κἀνόσιον καὶ παράνομον. Attica igitur locutio θερμὸν ἔργον una cum composito θερμουργός eximie illustrat Homeri Ϝέργ' ἀΐδηλα Il. V 757. 872, quam dictionem posteriores poëtae epici mutuati sunt Apoll. Argon. III 1132. Orph. Argon. 17. 431.

Ita iam nulla superest difficultas, quam Buttmannus reperire sibi visus est in Hesiodi fragmento apud schol. Pind. P. III 48:

τῷ μὲν ἄρ' ἄγγελος ἦλθε κόραξ ἱερῆς ἀπὸ δαιτός
Πυθὼ ἐς ἠγαθέην καί ῥ' ἔφρασε Ϝέργ' ἀΐδηλα
Φοίβῳ ἀκερσεκόμῃ, ὅτι Ἴσχυς γῆμε Κορωνίν.

Quod corvus Apollini nuntiavit, Ischyn Coronidi vim attulisse, non occultum, sed protervum facinus, id quod per contextum licet, intelligendum esse, et ex significatione ἀΐδηλος vocis multis exemplis comprobata cernimus et ex eadem potestate, qua Hesiodus ἀΐδηλα adverbii loco adhibuit Op. 754:

μηδ' ἱεροῖσιν ἐπ' αἰθομένοισι κυρήσας
μωμεύειν ἀΐδηλα · θεός νύ τι καὶ τὰ νεμεσσᾷ.
Ne forte sacris incensis interveniens
proterve conviciatus sis; deus nempe etiam id indignatur.

Ad similem μωμεύειν ἀΐδηλα verborum interpretationem, quam Buttmannus ingenii acumine ductus divinaverat, *„in ludibrium impium vertere“* proxime accedit nostra explicatio:

„proterve vel *nimia cum audacia conviciari,“* qua nihil contextui convenientius dici posse videtur.

Adverbio utitur Homerus Il. XXI 220, ubi Scamandrum fluvium humanam speciem indutum Achilli nimiam in occidendis Troianis animi ferociam obiurgantem facit his verbis: *σὺ δὲ κτείνεις ἀΐδήλως, tu autem occidis ferociter.*

Reliquum est ut videamus, quo sensu Sophocles Plutoni *ἀΐδηλον* epitheton impertiverit Ai. 608:

τὸν ἀπότροπον ἀΐδηλον Ἅιδαν,

invisibilisne an violenti sensu. Quanto significatio violenti saepe illa apud Homerum obvia ad Plutonis ingenium mortalibus infestum et inexorabile designandum praestet languidae illi scholiastae interpretationi *τὸν ἀΐδηλον καὶ ἀφανῆ*, nemo non intelliget, qui commentis insulsis neglectis propter praecedens *ἀπότροπον* (horribilem) fortius appositum quam *ἀφανῆ* requiri consideraverit memineritque *στυγεροῦ ’ΑFίδαο* Il. VIII 368 et

’ΑFίδης τοι ἀμείλιχος ἠδ’ ἀδάμαστος·
τοὔνεκα καί τε βροτοῖσι θεῶν ἔχθιστος ἁπάντων. Il. IX 158.

Sine ullo dubio Homerum, qui Minervam et Martem deos bellicos *ἀϊδήλους* Il. V 880. 897 audaces, violentos appellavit, imitatus est poëta *ὁμηρικώτατος* [1]) ad Plutonis ingenium infestum violentumque nomen illud aptissime transferens.

Denique in epitaphio Smyrnaeo incertae aetatis C. I. Gr. n. 3328 *ἀΐδαλος Τύχα* Fortuna violenta, temeraria appellatur v. 5:

πέτρος ὅδε ξεινοῖσι βοάσεται, ὡς ἀΐδαλος
ἀσφαλὲς ἀνθρώποις οὐθὲν ἔνειμε Τύχα.
Hic lapis hospitibus clamabit, quam violenta
Nil Fortuna homini firmum ulli tribuat.

Auctorem antiquos poëtas inprimis Homerum imitatum esse delectus verborum epicorum, etiam in reliquis versibus conspicuus, arguit, quare illa eodem sensu accipi licet, praeterea interpretatio nostra veterum opinioni de Fortuna conceptae respondet, cuius Horatius quoque testis est Carm. I, 34, 14:

hinc apicem rapax
Fortuna cum stridore acuto
Sustulit, hic posuisse gaudet.

Postquam vocis epicae significationes iam inde a grammaticis Alexandrinis oblitteratas per vetustos poëtas perlustravimus, e re erit earum ordinem et rationem brevi hoc conspectu proponere.

’Αΐδηλος vocabulo significatur

1. proprie: admodum ardens, flagrans, *πῦρ ἀΐδηλον* Il. II 455. IX 436. XI 155. translate: ardens, fervidus, audax, temerarius, violentus, *Ἄρης* Od. VIII 309. Il. V 897, *παῖς* (*’Αθήνη*) Il. V 880., *Ἅιδας* Soph. Ai. 608., *Τύχα* C. I. Gr. n. 3328.

---

1) Lechner, de Sophocle poëta *ὁμηρικωτάτῳ*. Erlangae 1859.

μνηστήρων ὅμιλος Od. XVI 29. XXIII 303., ἀνήρ (Μελάνθιος) Od. XXII 165., Ϝέργα Il. V 757. 872. Hesiod. fragm. ap. Pind. P. III 48. Tyrt. el. 8.
adv. ἄϊδηλα μωμεύειν, proterve conviciari Hesiod. Op. 754., ἀϊδήλως κτείνειν, férociter occidere Il. XXI 220.
2. valde lucidus, clarus, conspicuus: τὸν μὲν ἀΐδηλον θῆκεν θεός Il. II 318.

Ἐ π η ε τ α ν ό ς.

Iam veterum de vocis epicae ἐπηετανός vi et origine sententiae diversae fuerunt teste Herodiano Epim. I 180: ἐπηετανὸς παρὰ τὸ ἔτος, ὡς δέ τινες παρὰ τὸ τ**α**ναός. Prior interpretatio ***perennis, ad annum sufficiens,*** qua ἐπηετανός una cum ἐπετήσιος (Od. VII 118 ἐπετήσιος καρπός) ab eodem etymo repetiverunt, redarguitur locutionibus Homericis γάλα ἐπηετανόν Od. IV 89, κομιδὴ ἐπηετανός ib. VIII 233 et λέβητες ἐπηετανοί hymn. Hom. in Merc. 61, quapropter G. Curtius (Zeitschr. f. Sprachvergl. I p. 34) aliud etymon requirens mediam illius vocis particulam ηε variam ἀεί adverbii formam et τανος suffixum esse suspicatur. At vero neque ex Homero, qui praeter unum ἀεί Il. XII 211 constanter αἰεί et αἰέν ac vocabulum ab eo compositum unum αἰειγενέτης praebet, neque aliunde ηε pro αἰεί vel ἀεί dictum esse compertum est, nec magis de suffixo τανος quidquam certi constat; denique interpretatione de aeterno vel perpetuo ad usum epitheti explicandum parum proficitur. Plus vidit Lobeckius. Qui cum Pathol. el. p. 435 opinionem a veteribus traditam, qui ἔτανος adiectivum ab ἔτος ductum fingebant, deserendam esse docuisset propterea quod adiectiva in ανος a nominibus generis neutrius in ος exeuntibus propagata non exstarent praeter duo longius exporrecta μηκεδανός et ῥιγεδανός, alteram originationem a veteribus propositam: ὡς δέ τινες παρὰ τὸ ταναός comprobavit significationem a perenni et perpetuo transferri ad continuum asserens et formam egregio exemplo Hesychii illustrans: διηтανές, λιτόν, διατεταμένον. Etsi Lobeckius explicationem suam non omnibus partibus absolvit nec singulis locis collatis stabilivit, tamen quam apte continui significationem statuerit, iam primum ex eo animadverti potest, quod aut pluralia aut collectiva nomina voce ἐπηετανός copulantur et quod complures veteres commentatores, utricunque etymologiae adhaerent, in sola continui notione inter se consentiunt, ut Apollonius Sophista: ἐπηετανός (κομιδή Od. VIII 233), παρατεταμένη, σ υ ν ε χ ή ς, Schol. Od. VI 86 (πλυνοί) ἐπηετανοί, πολλοί, σ υ ν ε χ ε ῖ ς, ὁλοχρόνιοι, Hesychius Ἐπηετανόν, σ υ ν ε χ έ ς, ἀ δ ι ά λ ε ι π τ ο ν, παρατεταμένον διὰ παντὸς τοῦ χρόνου, δαψιλές. Iam vero ἐπηετανοὶ πλυνοί Od. VI 86, ἀρδμοί Od. XIII 247, λέβητες hymn. Hom. in Merc. 61 aptissime dicuntur scrobes (labra), aquationes, pelves continuae, in ordinem pertinentes vel dispositae, ἐπηετανὸν γάλα Od. IV 89, ἐπηετανὸς σῖτος XVIII 360, —βίος Hesiod. Op. 31. Pind. Nem. VI 10, —κομιδή Od. VIII 133 lac, cibus, victus, cultus continuus i. e. copiosus. Maxime autem apud Hesiodum Op. 516 vis huius adiectivi cognoscitur, ubi singulis capris opponuntur congregatae.

καί τε δι' αἶγα ἄησι τανύτριχα, πώεα δ' οὔτι,
οὕνεκ' ἐπηεταναὶ τρίχες αὐτῶν, οὐ διάησιν
ἲς ἀνέμου Βορέου.

Atque capram tenuibus crinibus praeditam perflat Boreas, greges vero, quia continui eorum crines sunt, minime perflat. Ex quibus apparet capras intelligi agmine denso congregatas crinibus inter ipsas continentibus vel adhaerentibus a Boreae spiramine defendi. Hanc vocis significationem etiam vigere videmus apud Theocritum, qui id. XXV versu 20:

κείνῃ ὅθι πλατάνιστοι ἐπηεταναὶ πεφύασιν

ne levissimam quidem dubitationem nobis relinquit, quin platani continentes sive continua serie dispositae intelligendae sint.

Qua significatione demonstrata cum hoc effectum videatur, ut ἐπηετανός vocem epicam synonymis aequalibus ἐπασσύτερος et ἐπήτριμος adscribendam esse appareat, redimus ad formae explicationem, quam nondum omnibus partibus absolutam esse supra diximus. Quod enim Lobeckius principium ἐπιτανός in ἐπητανός additoque epsilo ἐπηετανός productum esse statuit, mihi quidem ea ratio invertenda esse videtur. Exordiendum est ab integra forma ἐπηετανός e tribus partibus composita (ἐπ-ηε-τανός), quarum quae media est ηε initium nominis Ἠετίων tenet et vim habet intensivam. Nam Ἠετίων proprie idem valet quod *Πολυτίων*, sicut illud explanatum invenimus in oraculo ab Herodoto memorato V 92, 2:

Ἠετίων, οὔτις σε τίει πολύτιτον ἐόντα,

ubi verba πολύτιτον ἐόντα „*qui valde honorabilis es*“ pro explicatione nominis Ἠετίων habenda sunt. Porro ἠε praefixum illud intensivum Ionica dumtaxat pronuntiatione varie affectum pro ἀε in Ἀετίων communis sermonis forma, in ἐπηετανός iam apud Hesiod. Op. 607. hymn. Hom. in Merc. 113 synizesi conflatum, postremo iu ἐπητανός contractum est. Eodem modo ὑπερήφανος — Dorice ὑπεράφανος Pind. P. II 28, raro ὑπερηφανής Xen. mag. eq. 5, 7 — contractione ex ὑπεραέφανος evasisse facile est ad colligendum ex Hesychii glossa ἀεφανέων λαμπρῶν.

Iam si accuratius investigaveris, unde praefixum illud ἀε — Ionice ἠε — in nonnullis vocibus epicis obvium repeti possit, ab ἀι praefixo supra p. 5 demonstrato (unde ἀΐδηλος) vel ἀσι pristina eius forma (unde ἀσίχηρ et ἠσιχερ, v. ibid.) nisi ι vocali in ε mutata non differre facile tibi persuadebis. Pro ipso nostro ἐπηετανός Hesychius [1]) et Phavorinus formam ἐπηστάν, ἐπὶ πολὺ ἀνατεταμένον servarunt duabus quidem syllabis concisam, sed ex iisdem partibus ἐπ-ης-τάν compositam, quarum media ης particula ad σ litteram, in quam desinit, voci epicae suo loco restituendam simulque ad hiatum explendum aptissima est, ut huius vocabuli apocopati ope speciem verbi magis primitivam repraesentare possimus ἐπησετανός. Huius etiam priscam formam indagare licet ἐπασετανός, quam ob nimias breves syllabas ad epicorum usum produci ἐπη(σ)ετανός necesse fuerit ut ἠΰκομος, ἠϋγένειος. Iam media illa priscae formae particula ἀσε, quam coniectura assequimur, una cum praefixis intensivis ἀσι in ἀσίχηρ, ἀτ in ἀτρέμας (tranquille) [2]) et Latino at in a t a v u s eiusdem originis est atque Sanscrita praepositio a t i, quae cum radi-

---

[1]) Pro eo quod legitur ἐπιστάν scribendum esse ἐπηστάν et series litterarum, cum antecedat ἐπήσκηται, et Phavorinus docet.

[2]) Idem vocabulum est quod ἠρέμας praefixo producto et τ eliso paullum varians, cuius radicem ῥεμ G. Curtius in lineamentis etymologiae Graecae p. 289 cum radice Sanscrita et Lituanica r a m simulque utriusque propaginibus bene comparavit.

cibus verborum composita significat ***supra, trans, ultra,*** cum nominibus composita intensivam habet vim ***valde,*** ut atigîvas, ***valde vegetus, vivax.*** In *ἐπ-ασε-τανός* (*ἐπητετανός*) autem *ἐπί* et *ἀσε* praepositiones propria vi servata cum verbi *τείνω* radice *ταν* coniunctae res designant in adversum ultraque directas sive per ordinem ita pertinentes ut alia alii succedat, quae res continuae sunt.

Iam I. Bekkeri aut eorum, quos secutus est, coniecturam *ἐπηϜετανός* reprobantes vel volgata lectione libentius acquiescimus, cum iam per Homeri carmina sibili horror latius pateat, quam ut *ἐπησετανός, ἀσίδηλος* primarias formas quamvis certo exploratas in textum inductas probemus. Sed grammatici est primordia verborum demonstrare, ut et conformatio accurate perspiciatur et vera significatio cognoscatur, quod utrumque si mihi contigerit eruisse, operae pretium fecisse mihi videor.

Huic simile nomen, cuius *ἀς* praefixum vel sermo communis retinuit, adiungimus

Ἀ σ π ά σ ι ο ς.

Iam ex eo quod verbum *ἀσπάζεσθαι* (hospites) benigne excipere Od. III 35. XIX 415. Il. X 542 pariter atque *ἀγαπάζεσθαι* Od. VII 33. XVII 35. *ἀγαπαζέμεν* Il. XXIV 464 significat, ut hoc ab *ἀγα,* ita illud ab *ἀς* praefixo et communi utriusque verbo simplice *πάζεσθαι* etsi obsoleto coaluisse et duobus praeverbiis *ἀς* et *ἀγα* pariter vim intensivam inesse colligere licet. Neque vero in coniectura subsistimus. Etenim adiectivum a priore verbo derivatum *ἀσπάσιος,* quo significatur ***cum gratulatione exceptus*** Od. IX 466. XI 431. Il. X 35, ***gratus:*** *βίοτος* Od. V 394. *νύξ* Il. VIII 488, ***laetus*** Od. XXIII 238. 296., a varia forma apud Hesychium servata: *ἀεπάσιον, ἀσμένως χαίροντα* sola *ἀε* praefixi intensivi specie differt, quam supra in aliis exemplis deprehendimus. Ut autem in *ἐπ-ηε-τανός* particulam mediam productam ex *ἀσε* vel *ἀσι* pristina eius forma repetivimus, ita ab hac vel propius abest *ἀε* species quippe non producta. Eadem igitur ratione *ἀσεπάσιος* prototypon statuentes volgarem vocis formam *ἀσπάσιος* post *ε* elisum *ἀς* praefixi intensivi speciem exhibere cernimus, quae transitum nobis parat ad explicandam vocem epicam quae sequitur.

Ἀ ά α τ ο ς (ἈάϜατος).

Verbum *ἀάω,* quod universe et inprimis apud Homerum significat decipere, in fraudem et damnum iniicere, radice bisyllaba eaque intermedio digammate instructa *ἀϜα* progenitum esse, nominis *ἀνάτη* (⏑⏑–) pro *ἀϜάτη* scriptura apud Pindarum Pyth. II 28. III 24 demonstrat [1]).

---

[1]) Eadem scriptura inaequali quidem penultimae mensura exstat in poëtae incerti fragmento, quod Schneidewinus attulit in Philologo III, 2, 381 *τὰν ἀλόρεστον ἀνάταν* (–⏑⏑–⏑⏑––). Verbum inde derivatum, quod Hesychius servavit, *ἀγατάσθαι βλάπτεσθαι* et *ἀγάτημαι βέβλαμμαι* (augmento perfecti omisso) haud dubie *γ* pro *Ϝ* ut in multis exemplis apud Hesychium scripto, quae egregia est coniectura Ahrensii de dial. Dor. p. 55, eadem qua eius principium *ἀϜάτα* scriptura *ἀϜατάσθαι, ἀϜάτημαι* repraesentari par est. Postquam digamma evanuit, ad *ἄτη* nomen iam apud Homerum contractum se applicuit verbum derivatum *ἀτάσθαι* Soph. Ai. 269. Ant. 314.

Idem cum a vocali incipere appareat, negativae particulae forma nisi integra ἀν ei praefigi non potest, quemadmodum apud poëtas tragicos ἄν-ατος, ab ἄτη contracto compositum, scribi videmus Aesch. Suppl. 356. 359. Soph. Oed. C. 786. Itaque mirum est quid acciderit Buttmanno, qui in Lexilogo I p. 230 ἀάατος vocem Homericam tamquam negatione instructam *illaesum, inviolabile* significare sibi persuaserit. Nec minus in eo labitur vir egregius, quod illam ab ἀατός ducit; neque enim ἀατός adiectivum verbale ab ἀάω formatum exstat, neque, si exstaret, eiusmodi significatio *violabilis* elici posset. Ἀάω, quod veteres per βλάπτω interpretantur, designat in errorem mentis vel fraudem et damnum iniicere, decipere, nunquam violare, laedere; ἀϜάσθην Il. XIX 136 *deceptus* vel *animo perturbatus sum,* ἀϜασάμην ib. 137 (ἀλλ᾽ἐπεὶ ἀϜασάμην καί μευ φρένας ἐξέλετο Ζεύς) *in amentiam incidi.* Iam in sensum ἀάϜατος epitheti Homerici inquirentes a versu Il. XIV 271 exordimur:

Ἄγρει νῦν μοι ὄμοσσον ἀάϜατον Στυγὸς ὕδωρ,

ubi scholiasta Ven. his verbis: τὸ α καὶ στέρησιν καὶ ἐπίτασιν δηλοῖ, ὡς ἀβλαβὲς μὲν τοῖς εὐόρκοις, πολυβλαβὲς δὲ τοῖς ἐπιόρκοις non dicit Stygis aquam violari non posse, immo a periuris posse significat, sed ambigit innocuamne eam dicat an damnosam. At vero cum ἀάϜατος negatione explicari minime possit linguae legibus obstantibus quominus idem sit quod ἄνατος, solum restat ut α intensivo admisso Stygis aquam πολυβλαβῆ *damnosam* interpretemur ex mente veterum, quorum animo damnum sive calamitas a peccatore peierante extimescenda obversata esse videtur. Styx enim vocatur δεινὸς ὅρκος Il. II 755. XV 38., eius aqua Στυγὸς ὄβριμον ὕδωρ hymn. Hom. in Merc. 519, utpote unde in periuros cum deos, tum homines magna redundet calamitas. Hunc sensum diserte exprimit Hesiodus Theog. 231, ubi inter Eridis liberos statim post Ἄτην describit Ὅρκον:

Ὅρκον θ᾽, ὃς δὴ πλεῖστον ἐπιχθονίους ἀνθρώπους
πημαίνει, ὅτε κέν τις ἑκὼν ἐπίορκον ὀμόσσῃ.

Quae cum ita sint, iis veteribus commentatoribus assentimur, quorum sententiam Eustathius ad Il. XIV 271 litem de duplici α negativo dirimere periclitatus praepostere affert: τινὲς δὲ διὰ τὸ ἀάτην τὴν βλάβην λέγεσθαι ἄατον μέν φασι τὸ ἀτηρόν, ἀάατον δὲ τὸ πολυβλαβές. In quibus quod ἄατον τὸ ἀτηρόν commemoratur, nusquam, quod sciam, legitur; quisquis illo usus est, vereor ne is ex alterius vocabuli tribus alpha duo contraxerit vel contracta acceperit; hoc vero ἀάατον interpretatione πολυβλαβές i. e. *fraudis plenum* [1]), *damnosum* rectissime ex ἀάτη et praeposito α intensivo compositum esse indicatur.

Hac veterum interpretatione, quae sola rationi grammaticae et opinioni de Stygis iuramento conceptae conveniat, ducti etiam reliquos locos apud Homerum facilius explana-

---

[1]) Ἄτη et apud Latinos *fraus* eodem intellectu pro culpa videlicet vel noxa et damno ferebantur, cuius usus solemnis exemplum prae ceteris insigne illud Horatii suppetit, qui Theognidis versum 204:

οὐδὲ φίλοισιν
ἄτην ἐξοπίσω παισὶν ἐπεκρέμασεν.

Carm. I, 28, 30 imitatur: Negligis immeritis nocituram
Postmodo te natis fraudem committere?

bimus. In Odysseae libri XXI initio Penelope procis certamen matrimonii sui proponit arcumque Ulyssis cum sagittis tradi iubet. Eumaeus et Philoetius pastores cum arcum intuentes desiderio domini perculsi fleant, Antinous eos increpat v. 90:

κλαίετον ἐξελθόντε, κατ᾽αὐτόθι τόξα λιπόντε,
μνηστήρεσσιν ἄεθλον ἀάFατον · οὐ γὰρ ὀΐω
ῥηϊδίως τόδε τόξον ἐΰξοον ἐντανύεσθαι.
οὐ γάρ τις μέτα τοῖος ἀνὴρ ἐν τοῖσδεσι πᾶσιν,
οἷος Ὀδυσσεὺς ἔσκεν.

De certamine periculoso, dolores afferente, terribili cogitari non posse Buttmanno concedimus, sed multum abest ut illud irreprehensum dicere possimus. Ne levissimum quidem indicium usquam elicias, unde procos reprehendere voluisse certamen colligas, neque in verbo *ἀάFω* ἀFάω significationem reprehendendi inesse ostendas. Cum vero ex certa notione vocis *ἀάFατος* verbis *ἄεθλος ἀάFατος* certamen significetur, ***quod multum fraudis*** vel ***multum erroris habet,*** sane eiusmodi certamen Antinous ipse indicat, causam, cur arcus haud facilis ad tendendum sibi videatur, eam addens, quod nemo inter omnes procos inveniatur qualis Ulysses fuerit.

Denique haec significatio egregie confirmatur altero loco, ubi Ulysses Antinoi locutione utens non sine irrisione Od. XXII 5:

Οὗτος μὲν δὴ ἄεθλος ἀάFατος ἐκτετέλεσται.

sensu haud ambiguo hoc dicit: ***Certamen fraudis (erroris) plenum, a vobis desperatum, iam perfectum est.***

Ut ad vocis compositae partes discernendas revertar, ne ullam de iis dubitationem relinquam, reiectis ficticio isto adiectivo verbali *ἀατός* et *α* particula negativa ante vocalem (pro *ἀν*) illicita, quae Buttmannus praepropere admisit, iam *ἀάFατος* vocabulum ex *α* intensivo et *ἀFάτη* compositum esse videmus eo modo, quo *ἀάσχετος* illo alpha praeposito intensivam vim rei ***valde intolerabilis*** accepit. Hiatum post *α* intensivum non originitus locum obtinuisse, sed abiecto demum eius sigma finali ortum esse, ex pristinis illius praefixi formis bisyllabis supra demonstratis *ἀσι, ἀσε* et vel maxime ex *ἀς* truncata forma in *ἀς-πάσιος* conspicua intelligi potest. Sicut in formis bisyllabis sigma inter vocales intermedium, raro ut in *ἀσί-χηρ* servatum, facile elidebatur in *ἀΐ-δηλος, ἐπ-ηε-τανός, ἀε-πάσιος,* ita etiam truncata *ἀς* forma, quae ante consonas quidem duravit in *ἐπ-ης-τάν, ἀς-πάσιος,* ante vocales sigma abiiciebat: *ἀ-άFατος, ἀ-άσχετος.* Verum ex hoc quoque genere *ἀς* illud praefixum superstes est et usque ad infimam Graecitatis aetatem integrum permansit in *Ἄς-ανδρος* nomine proprio, quod pariter atque *Ἀγήνωρ* et nomen Sanscritum a t i p u r u s h a s proprie eum designat, qui ***admodum vir*** est. Ex quo servati ante vocalem praefixi *ἀς* exemplo insigni certe colligere licet etiam voces epicas originitus *ἀς-άFατος, ἀς-άσχετος* sonuisse. Sed sibili fuga magis magisque grassari coepit in sermonem Graecum, ut *ἀς* praefixum iam Homeri aetate non minus ante consonas, quam ante vocales, sigma amiserit et *α* intensivum nudum superstes fuerit in multis vocabulis *ἀγλαός, ἀσπερχές, ἄξυλος, ἀτενής, ἀχανής,* aliis, quae pleraque collegit Doederlinus in commentatione „de *ἄλφα* intensivo sermonis Graeci" Erlangae a. 1830 edita, quam cum per bibliopolas nancisci non possem, vir illustris roganti mihi liberalissime transmisit. Itaque hunc li-

bellum grato animo legens atque relegens auctorem in congerendis exemplis per multos scriptores et grammaticos dispersis tanta cura ac diligentia versatum esse intellexi, quanta neque ante neque post eum neminem. Verum quamvis multa vocabula difficilia e tenebris ab illo eruta esse cognoverim, tamen rationem, qua vir doctissimus p. 24, sicut nostrates Unthier „sensu exaggerativo vel intensivo" dicere soleant, ita Graecos quoque α privativum in verbis compositis sensu intensivo usurpasse arbitratur, veram esse mihi persuadere non potui. Lingua enim vernacula, quia eiusmodi adiectivis quidem, quae Graecis ab α intensivo compositis conferri possint, omnino caret, cum per se parum analogiae praebet, tum ipsius linguae Graecae diversa compositionis ratio obstat quominus α privativum et α intensivum confundantur; illud enim ante vocales pleniore ἀν forma semper, hoc nunquam scribitur, qua sola re ista de communi utriusque praefixi ortu opinio redarguitur. Peculiarem vero α intensivi originationem variae eius species in vocibus epicis conservatae arguunt, quae cum ad formam magis primitivam ἀσι et ἀτ (in ἀτρέμας) referantur, haud dubie simul cum praefixo synonymo Latino at in atavus, emollito in aduncus, adaeque, adsimilis, adfabre, adprobe, aliis cognatae, tamquam ultimam originem sibi vindicant praefixum intensivum Sanscritum ati (atigîvas, *vivax;* atigaras, *longius aetate provectus;* atidaivas, *deus potens,* al). Quibus fundamentis substructis Doederlini opus, quod parumper Lobeckii arietibus (Path. el. p. 33 sqq.) labefactatum est, stabilitum et hic illic resartum stabit, neque dubito, quin hic locus grammaticae, qui est de α intensivo, ubi uberius ac limatius, quam per temporis mei angustias fieri nunc licuit, tractatus fuerit, ab huiusmodi quaestionibus epicis novam lucem et accepturus et redditurus sit.